

clinentur, inveniunt: per hoc enim quod luculenter et aperte audiunt, in illud quod clarescit in corde, requiescunt. »

Denique Philo Carpathius per *reclinatorium aureum* accipit martyres, quibus quasi incumbit Ecclesia; dicuntur *aurei*, quia igne martyrii excocti: ita ipse, alii aliter.

Symbolice, Hugo de S. Victore, ex *Miscellan.* II, lib. I, cap. **cxii**: « *Ferculum*, inquit, est qualibet sanctorum congregatio ad æternum convivium animas ferens; *columna argentea*, qui fortissime operis exemplo alios portant, et luce prædicationis illuminant; *reclinatorium aureum*, æternæ felicitatis fulgor, in qua reclinatur et ab omni labore quiescit; *ascensus purpureus* est, quia ad claritatem illius quietis, non nisi per tribulationem venit. »

Anagogice, *ferculum* hoc significat Ecclesiam sanctorum triumphantem in caelis, cujus fundamentales columnas, portas, mensuras et gemmas graphicè depingit S. Joannes, *Apoc.* xxi, 12. Hanc fecit Deus propter filias Jerusalem, id est beatos tam angelos, quam homines: propter angelos, ut eorum ruinas restaret; propter homines, quia pro eis passus et mortuus est Christus.

#### SECUNDUS SENSUS

##### PARTIALIS,

##### De Christo et anima sancta.

*Primo*, mens pia, præsertim mortificationi studens et crucem Christi ferens, est *ferculum Christi* juxta illud: « Semper mortificationem Jesu in corpore nostro circumferentes, ut et vita Jesu manifestetur in corporibus nostris, » II *Corinth.* iv, 10; et: « Ego stigmata Domini Jesu in corpore meo porto, » *Galat.* vi, 17; et: « Empli estis pretio magno. Glorificate et portate Deum in corpore vestro, » I *Corinth.* vi, 20. Hinc S. Ignatius Martyr vocatus est *theopropius*, et *theopropius*, id est *desider* et *christifer*; itaque ipse se vocat in titulo Epistolarum suarum.

*Secundo*, Hugo de S. Victore, *Erudit. Theol.* ex *Miscell.* I, l. x: « *Ferculum Salomonis*, inquit, cor exercita tum instiduo virtutis: *ferculum*, sapientie verbum; inde portatur ab ore ad aurem. *Lectulus*, mens contemplativa: *ferculum* hoc primum de *lignis Libani* esse debet per puritatem, et incorruptionem veritatis; de *argento* in præceptis et promissis: in eandem argenti munda conversatio, in sonoritate dulcis promissio. *Habet aurum* per sapientiam celestem, quod non aruginat in aeternitate, sed rubet in charitate. *Habet purpuram*, quando prædicat passionem. *Ascensus* ad glorificationem. In medio *charitas* sternitur propter filias Jerusalem, quæ teneris et infirmis proposita est ad obtinendam salutem: quis tam tener, ut amare non possit? nam si cætera non potes, amare tamen potes, ut ad *ferculum Salomonis* pertineas. »

*Tertio*, mens charitate, zelo animarum et spi-

ritu apostolico flagrans, et prædicans Christum crucifixum, vocatur *ferculum Christi*: *Christi* enim nomen, fidem et cultum circumfert per omnes gentes; unde *ferculum Christi* fuit S. Petrus et apostoli, inquit Theodoretus, et Hortolanus, et Gisleirius, imo Christus ipse, *Act.* ix, 15: « Vas electionis, inquit, est mihi iste, ut portet nomen meum coram gentibus, et regibus, et filiis Israel: » fuit enim ipse *cedrus Libani* alta et superba, dum judæus existens persequebatur Ecclesiam, at vero inde succisa et dolata, facta est incorruptibile *ferculum* et curru triumphalis Christi, juxta id quod ipse ait, II *Corinth.* ii, 14: « Deo autem gratias, qui semper triumphat (id est triumphare facit) nos in Christo Jesu, et odorem notitiae suae manifestat per nos in omni loco: quia Christi bonus odor sumus Deo, in iis qui salvi fiunt, et in iis qui pereunt. » *Columnæ argenteæ* ejus fuerunt sapientia et efficacia prædicandi Christum crucifixum, juxta illud: « Nos autem prædicamus Christum crucifixum: Judæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam: ipsis autem virtutem, et Dei sapientiam, » I *Corinth.* i, 23. *Reclinatorium aureum* fuit in victa animi constantia, modestia, mansuetudo, cui incumbens omnes labores, difficultates et adversa fortiter et placide sustinuit et superavit. *Ascensus purpureus* fuit continua ejus passio, plagæ et ærumne, in quibus gloriabatur: « Mihi, inquit, absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi: per quem mihi mundus crucifixus est, et ego mundo, » *Galat.* vi, 14.

Legè totum caput II *Corinth.* xi, ubi suas plagas et passiones, velut trophæa et triumphos enumerat. *Media charitate contraxit*, quia nil nisi amoris ignes spirabat et eructabat, etiam in iudæos sibi infensissimos. Vide *Rom.* cap. ix, 1. Quocirca S. Chrysostomus, homil. 22 ad *Popul.* sub initium, hæc Paulo dat elogia: « Paulus terrestris angelus, celestis homo, Spiritus Sancti receptaculum, zelo incomparabilis, charitate magnus, ecclesiarum Dei curator sollicitus, pietatis orator, imbecillum deductor, credentium pronubus, Judæorum redargutio, sagena omnium nostrorum, post mortificationem doctor, et post mortem præco, qui nobis demonstrat quomodo in caelos ascendere oporteat. » Idem, lib. II *De Orat.*: « Paulus ille insatiabilis Dei cultor, communis parens et progenitor servorum Christi, ille custos orbis terrarum, qui ex hominibus facta templa Christi. » Vide quoque de laudibus S. Pauli dixi *Proemio* in ejus Epistolas, et in *Idea S. Pauli*, quam præfixi Actibus Apostolorum.

Apposite Nyssenus, *hom.* 7, notat Deum variis modis esse in justis, scilicet ut in loco, ut in domino, ut in solo, ut in scabello, ut in curru, et ut in equo frenum recipiente: hic vero describitur in pia anima esse ut in lectica, materia et opere præstantissima, utpote quæ jam haud sibi vivat, sed Deum deserat in ipsa viventem, juxta illud

Aposto<sup>3</sup>: « Vivo autem, jam non ego: vivit vero in me Christus, » *Galat.* ii, 20.

Symbolice, *primo*, S. Ambrosius, lib. III *De Virg.* post initium, ex Septuaginta sic legit, sicque explicat: « Lectum fecit sibi rex Salomon ex lignis Libani, columnas ejus argenteas: *reclinatorium aureum*, dorsum ejus gemmarum stratum. Quis est iste, inquit, lectus, nisi corporis nostri species? namque in gemmis aer specie fulgoris ostenditur; in auro, ignis; aqua, in argento; terra, per lignum: ex quibus corpus humanum quatuor constat elementis, in quo nostra recubat anima, si non aspero montium, non humi arido expers quietis existat, sed sublimis a vitis ligno fulla requiescat. »

*Secundo*, tres Anonymi apud Theodoretum per *ferculum* hoc accipiunt doctores, quibus quasi curru velitur Christus ad docendos et perficiendos homines; per *columnas argenteas* accipiunt eloquia Domini; per *reclinatorium aureum*, mentis pacificæ tranquillitatem; per *ascensus purpureum*, ecclestem patriam, in qua rex Christus, quasi Salomon pacificus, omnes sanctos efficit purpuratos, hoc est reges. Huc pertinet expositio Ruperti, qui per *ferculum* accipiens instrumentum, quo dapes inferuntur in mensam, per illud accipit S. Scripturam, quæ omnis generis epulas animo subministrat.

*Tertio*, S. Anselmus per *ferculum* accipit iudicæ, qui ex *cedris Libani* sunt, quia incorrupti; et *columnas argenteas*, quia fortiter verum iudicium resonant; et *reclinatorium aureum*, quia radiant charitate et sapientia; et *ascensus purpureus*, quia Christo in eis ascendente parati sunt ad quaslibet persecuciones.

Tropologicè, *primo*, noster Sanchez per *ferculum* Christi accipit mortificationem, quæ omnis amor sæculi resecat ab anima, ut fiat sponsa Christi, eique totum sum amorem resignet: unde in ea juvenis requiescit Christus: quocirca S. Basilus, in *Regul.* 6, *inter. fas.*, abnegationem docet esse vitæ spiritalis basin et fundamentum: « Quia ipsa, inquit, est summa rerum omnium vitæ superioris oblitio, atque a sui ipsius voluptatibus recessio. » *Columnæ* ejus duæ sunt, videlicet amor Dei; *reclinatorium* est patientia; *ascensus purpureus* est profectus in omni virtute.

*Secundo*, Hugo Victorinus, lib. I *Erudit. theol.* cap. lx et lxi, tria *fercula* distinguit: « Panamus, inquit, tria, id est lectulum Salomonis, et *ferculum Salomonis*, et curru Pharaonis; et intelligentius per *lectulum Salomonis* cor dulcedine contemplationis requiescens; per *ferculum Salomonis*, cor in exercitatione honorum operum se circumferens; per *curru Pharaonis*, cor in cupiditate carnalium requiescens. »

*Tertio*, Richardus de S. Victore *ferculum* quo inferuntur epulæ cum Ruperto accipiens, per illud intelligit animam sanctam, quæ Christum

poscit et reficit: « Dum ille, inquit, bonis ejus operibus, studiis ac desideris delectatur, sicut scriptum est: Populus meus saturavit me vocibus, implevit me odoribus; reficit quoque membra ejus exemplo, oratione, doctrina, consilio et colloquio. » Hoc factum est de *lignis Libani*, id est de electis, qui cresunt et fructificant per Christum et in Christo, qui dicitur *Libanus*, id est *candidateo*, ob puritatem. *Columnæ* quatuor sunt quatuor virtutes cardinales, quæ animam fulciunt, ac coram Deo et hominibus splendide efficiunt, instar argenti. *Reclinatorium* est conscientia pura, in qua reclinat se et quiescit Christus. Dicitur *aurea*, quia igne tribulationis excoctæ. *Ascensus purpureus* est desiderium celestium, quo mens ad Deum Christum et sanctos ascendit. Hæc Richardus fuse, quæ ego in pauca contraxi.

*Quarto*, S. Bernardus, tract. *De Gradibus Humil.* post initium, pariter *ferculum* dapum accipiens, ait hoc esse *ferculum charitatis*: « Vere dulcis et suavis cibus, inquit, charitas, quæ fessos allevat, debiles roborat, nostros beatificat; jugam denique Veritatis facit suave, et onus. Bonus cibus charitatis, quæ media in *ferculo* Salomonis consistens diversam odore virtutum, velut diversi generis fragrantia pigmentorum, esurientes reficit, juvencundat reficientes; ibi siquidem apponitur pax, patientia, benignitas, longanimitas, gaudium in Spiritu Sancto, et si quæ sunt alia veritatis seu sapientie generationes apparantur in illa. Habet et humilitas in eodem *ferculo* suas epulas, panem scilicet doloris et vinum compunctionis, quas primo Veritas incipientibus offert, quibus utique dicitur: *Surgite postquam sederitis, qui manducatis panem doloris*, Psalm. cxxvii, 2. Habet ibidem contemplatio ex adipe frumenti solidum cibum sapientie, cum vino quod beatificat cor hominis, ad quam Veritas perfectos invitât dicens: *Comedite, amici mei, et bibite, et inebriamini, charissimi*, Cantic. v, 1.

#### TIERTIUS SENSUS

##### PRINCIPALIS,

##### De Christo et B. Virgine.

*Ferculum* Christi fuit uterus et ubera B. Virginis, in quibus ipsa gestavit Christum; itam præsepium et cunæ existerunt quasi *ferculum* mobile et gestatorium Christi; *columna* fuerunt duo brachia B. Virginis, quibus stringebat Christum; *reclinatorium* fuit ejus sinus et pectus, in quo se reclinabat Christus; *ascensus purpureus* fuerunt mens ejus, caput, flavique et purpurascens capilli, qui Christum in sinu quiescentem cingebant, fovebant et velabant. Cætera, quæ de Ecclesia et anima sancta dixi, potiori jure applica B. Virgini, mutato duntaxat nomine.

MEDIA CHARITATE CONTRAVIT PROPTER FILIAS JERUSALEM.

PROPTER FILIAS. — Refer, tum ad charitatem,

que proxime præcessit, tum ad totum ferculum. Rursum *in medio* non est ablativus singularis perficiens ad *charitatem*, ut censuerit S. Gregorius, S. Bernardus et Cassiodorus, sed est accusativus pluralis significans ea que erant *media* sive *intermedia* feruli: hebraice enim est *תוכו* *tocho*, id est *medius ejus stratum*, vel *incensum*, aut *combustum dilectionis ejus*, scilicet tam feruli quam ascensum purpurei, id est sedis sive throni, *q. d.* Thronus feruli, in quo sedebat sponsus, circumdatus erat purpura; sed in medio, ubi erat locus sponsi, constratus erat lapidibus ignitis charitatem representantibus, aut certe *medium ejus*, id est, *medium pavementum feruli*, stratum erat gemmis ardentibus.

Pro *constravit* hebraice est *רצפה* *ratsaph*, id est *stratum*, vel *ardens amore*: nam *רצפה* *ratsaph* componitur ex *רצה* *tsaraph*, id est *ardere* (unde *seraphim* vocantur summi angeli, quia amore Dei ardent), et *רפה* *rophas*, id est *sternit*; unde *ratsaph* significat *sterni ad arandum* vel *comburendum*; hinc *רצפה* *ratsaph*, id est *pruna* sive *carbo ignitus*; *רצפה* *ratsaph* est *carbo accensus super pavemento*, indeque ipsum pavementum stratum lapideo, v. g. parvo vel marmoreo. Quocirca Septuaginta hic et II. Paral. vii, 3, et *Esth.* i, 6, vertunt *רצפה* *ratsaph*, id est *lapide scilicet opere vario et tessellato stratum*; unde vertunt hic, *intimum ejus lapidibus tessellatis constratum*; S. Ambrosius, lib. III. De *Virgini*, *dorsum ejus gemmarum stratum*; quinta editio, *medium ejus calculis composuit*; quare

*Primo*, ex Hebræo sic veritas, *medium ejus constravit lapidibus amoris*, puta gemmis ardentibus, quales sunt pyropi et carbunculi, qui symbolum sunt amoris et charitatis sponsi et sponsæ, neque ac filiarum Jerusalem; unde Vatablus vertit, *intimum ejus stratum*, vel *tectum amore*; Syrus, *medium ejus stratum amore præ fixum Jerusalem*; Arabicus, et *intrinsecum ejus incrustatum gemmis, et id amore filiarum Jerusalem*.

*Secundo*, quia Hebræi carent casibus, quo fit ut idem nomen quolibet casu verti possit; hinc ex Hebræo sic transferas, et *medium tenet ipse incensum amore, q. d.* Medium feruli tenet ardens amore, puta sponsus, hoc est Christus. Unde Glossa Hebraeorum in illud *Gen.* ii, 5. *Et germinavit fecit Dominus de terra*, sic habet: « in medio thalami Messias filius David, qui est diligens filios Israel, sicut dictum est *Cant.* ii, 10: » *Medium charitate constravit propter filias Jerusalem*. » Cor enim Christi erat quasi fornax ardentissima charitatis: unde ipse magis nostri amore, quam dolore assus et tostus fuit in cruce; atque in cruce, quasi in ferro in medio manuum, pedum et lateris, quinque plagæ per clavos et lanceam transfixus et arentatus, velut quinque purpureis et ardentibus pyropis constratus, ac de peccato et morte triumphans resplendit. Quare verius quam Cassar in eo dicere potuit, *veni, vidi, vici*, non terrore, sed amore: mors interfecit amorem

(Christum), sed amor (Christus) moriens vicit et interfecit mortem; unde dicebat S. Francisus: « Da, Domine, ut amore amoris tui noverit, qui amore amoris mei dignatus es mo. »

*Tertio*, Solomajor vertit in dativo, *medium ejus stratum amoris*, id est *media pars feruli strato erat amoris vel charitatis*, id est sponsæ summe charæ et dilecta media pars thalami belle adornata erat, vel diceata, et quasi consecrata. In medio enim feruli velut loco honoratissimo, gemmis vel aureis strato sedebat sponsa, juxta illud *Virgili*:

Aureis jam se regina superbis  
Aurea composuit sponda, mediæque locavit.

Constat enim ex *Suida* et *Varrone* olim sponsæ noviter nuptas, ne erubescerent, nocte lectica vehi solitas in domum sponsi: quare honoris causa medio lecticæ sedebant, ita ut latus dextrum siperet sponsus, sinistrum quispiam propinquus vel pronubus.

*Quarto*, alii cum Septuaginta vertunt in accusativo, *medium ejus gemmis constravit ad amorem a filius Jerusalem*, supple sibi *concedendum*: hæc enim gaudent gemmis et curru gemmato. Sic exponi potest versio Septuaginta, *interius vel intimum ejus lapidibus (gemmis) stratum, dilectionem a filiabus Jerusalem*, supple, *concedit vel extorquet*; aut sic, *in medio ejus posuit amorem vel charitatem*, hoc est effugiem amoris vel charitatis, ut significaret totum hoc ferculum a Christo compositum esse ex amore, sive causa amoris, ut charitatem suam omnibus manifestaret. Putant ergo nonnulli in medio hujus feruli positam fuisse statum vel imaginem charitatis.

Sic gentiles animales doppingebant Cupidinem in suis thalamis; unde *Pausanias* initio *Corinthiorum* asserit Cupidinis imaginem in curru depictam, in cujus media basi, ait, imago amoris Dei (Cupidinis) emergebat, assistentibus utriusque nereiibus. Alcibiades quoque in suo clypeo aureo et eburneo gestabat Cupidinem incisum, qui fulmen incurvaret et inflecteret, quo significabat amorem quoque Jovi dominari, eique iras et fulmen extorquere.

*Quinto*, Noster optime vertit in ablativo, *media charitate constravit*: eum enim in Hebræo nulla hic exprimitur materia, qua medium feruli sternatur, nisi charitas, utique charitate illud stratum sit, oportet.

Quæres, quis *Vulgatæ* versionis, *media charitate constravit*, sit sensus? *primo*, noster Sanchez charitatem accipit pro rebus charis et amabilibus, puta pro gemmis, que animos intuentium pellunt ad sui amorem, *q. d.* Medium feruli stratum erat gemmis pretiosissimis et charissimis: unde Septuaginta vertunt *stratum*, id est *lapidibus tessellatis constratum*; S. Ambrosius, *gemmarum stratum*; quinta editio, *e calculis compositum*. Sic cap. v, 16, ubi *Vulgatus* habet *totus desiderabilis*, hebraice est, *totus est desiderium*, et sic omnino

vertunt Septuaginta. Sic S. Joannes, I *Epist.* ii, 16, ait quidquid est in mundo esse concupiscentiam carnis vel oculorum, id est esse a carne, vel oculis concupisibile: Hebræi enim sepe sumunt abstracta pro concretis, et potentiam, habitum, vel actum pro ejus obiecto.

*Secundo*, alii per *charitatem* accipiunt effugiem charitatis, *q. d.* Salomon in medio hujus feruli collocavit statnam charitatis, quasi reginam sacri hujus connubii, quæ Christum cum Ecclesia summo et indissolubili amoris vinculo copulavit, quo tropologicè significatur, ait Sanchez, charitatem virtutum omnium reginam, tanquam cor in corpore, quo cætera membra vivunt ac vigent, in medio tanquam in suo regno consedis; a qua virtutes omnes, quas abnegatio mortificationeque inveniunt atque expolunt, vitam habent et pulchritudinem. Hæc amabilem facit esse thalamum, hæc sua secum affert naturalia ornamenta, virtutes scilicet alias, quæ tanquam assectæ et administræ ab ejus latere nunquam discedunt: imo hæc una reliquarum virtutum partes obit. Quod optime docuit Augustinus in tract. De *Laudibus charitatis*. tom. IX, additque Salomonem virum sapientissimum hieroglyphicum hoc ferculum faciondam curasse, quo filie Jerusalem in nuptiis uterentur, ut in hæc sancti connubii formam intente, acribus amoris et fidei symbolis excitante, viros suos colerent et diligerent; idque significari illo, quod sequitur: « Propter filias Jerusalem. »

*Tertio*, alii per *charitatem* accipiunt sponsuram, puta Christum, qui dicitur *charitas*, quia est summe amans et amabilis, *q. d.* In ferulo hoc nuptiali melius considerabat Christus velat sponsus unice diligens sponsam Ecclesiam, adeo ut ipsissima charitas esse videatur; et sane si per *ferculum* accipias presepium vel crucem, in ejus medio non erat nisi Christus nostri amore incarnatus, vagiens et crucifixus.

*Quarto*, simpliciter et plane per *charitatem* accipias imaginem, nomen, vel symbolum, aut emblemata aliquod charitatis, uti sunt carbunculi, columbe, turtures, flammæ, *q. d.* Medium hujus feruli solum, aut certe pavementum stratum erat effigie columbarum, vel carbunculorum, vel ignis et flammarum, que sunt insignia charitatis, ac forte ipsa charitatis imago et nomen, in ipso pavimento incisæ erant, sicut in rationali pontificis intextum erat *veritas et humilitas*, id est *doctrina et veritas*, *Exod.* xxviii, 30, ut significaretur totum hunc tam splendidi feruli ornatum non alio spectare, quam ad ostendendum amorem, quo sponsus prosequitur sponsam et filias Jerusalem, sponsæ angelas vel socias, ut eas vicissim ad illam magis redmandam et colendam alliceret, ut merito ferculum hoc amoris et charitatis, imo ipsa charitas nuncupari possit; unde multi vertunt, et *medium ejus ardebat ardore, vel erat ardor amoris*, vel *ignitum erat charitate*.

videtur ergo vel sedes vel pavementum hujus

feruli, vel utrumque stratum fuisse imagine Charitatis, aut rebus ignitis vel ignis speciem referentibus, uti sunt pruna, flammæ, carbunculi, etc. Ignis enim symbolum est charitatis et ardoris, juxta illud, *Cant.* vii, 6: « Lampades ejus lampades ignis atque flammarum. » Hinc et Spiritus Sanctus in Pentecoste specie ignis et linguarum ignearum in apostolos descendit, *Act.* ii, 3. Vide ibi dicta.

Porro pingitur Charitas hoc schemate: virgo facie rosea, sed ardenti cyclade eocinea amicta, alis instructa, in capite gestat coronam auream carbunculis distinctam et effulgentem; digitus ornatur annulo, pyropis radiante; a manu gestat cor rubicundum flammis vibrans, altero arcum et sagittas ignitas; hæc est imago, hoc emblemata charitatis: et forte sic expicta fuit in medio hujus feruli. Hæc de sensu grammaticali cordis; nunc ad sensum parabolicum et gentium sub eo contentum transeamus.

## PRIMUS SENSUS

ADEQUATUS;

De Christo et Ecclesia.

Salomon, id est Christus *ferculum*, id est romanam sedem et Ecclesiam mera charitate constravit, *primo*, quia tanta in illam exuberant Christi beneficia, ut omnia dilectione et charitate constrata esse videantur: in ea enim sedet Christi vicarius, qui habet plenitudinem potestatis ecclesiasticæ in omnes ecclesias et fideles; ac proinde peccatorum omnium remissionem, indulgentias, et gratias amplissimas concedere potest, et concedit presertim Ecclesie romanæ: in ea est assistentia Christi et Spiritus Sancti, ut in fide et in religione errare nequeat; in ea majora e celo charismata depluit; in ea basilicæ et ecclesie plenæ sunt reliquis SS. pontificum, sacerdotum, virginum, adeoque tota pene urbs romana madet sanguine martyrum. Unde Christus apparens S. Brigittæ (ut habet ejus *Vita*) jussit eam e Suecia proficisci Romam; ibi enim faciliorem esse viam in cælum aiebat: paruit et profecta est, indeque in cælum abiit.

*Secundo*, quia Christus mentibus pontificum et fidelium Ecclesie romanæ illustrem charitatem indidit, et etiamnum indit « propter filias Jerusalem, » ut scilicet animæ fideles et devotas, velut cives cælo adscripti, hac charitate romanæ Ecclesie illectæ ante amant, colant, sequantur, ac per eam cæu ferculum a terrestri Jerusalem ad cælestem subvehantur: non enim est salus illi qui est extra Ecclesiam, cujus caput est Ecclesia romana. Unus S. Gregorius Magnus, ut ceteros præteream, « ante charitatis fuit, ut omnes orphanos, monachos pauperes Romæ aleret, ac plurimos per totam Italiam, imo et ultra Italiam, in ipsaque Palestina degentes. In jubilo omnes e toto orbe Romam convolantes (qui ad plura centena millia numerantur) per triduum Romano-

rum impensis aluntur, et liberaliter ut hospites tractantur.

Rursum profusa populi romani charitas patet tot xenodochiis, orphanotrophiis, hospitalibus, ceterisque locis piis, quibus abundat Roma, ut omnium quotidianas fidelium elemosynas, quibus sustentantur omnes ordines mendicantes, monacha plurime, pueri, puellae, pauperesque innumeri. Omitto dotem, quae quotannis permultis virginibus ad nubendam datur, Ecclesiarum fabricas et ornamenta, sodalitorum impensas, etc., quae sane mihi, aliisque tenuitatem romani populi considerantibus saepe admirationem moverunt, ut non tam hominum, quam Dei romanae Ecclesiae beneficentis, haec opera propria esse videantur. Exstant libri haec de re extus, quibus ipsorum clare demonstratur, ac praesertim liber ejus titulus: *Thesauri Romae absconditi*; item libelli de jubileis romanis conscripti. Haec Cassiodorus, S. Gregorius, Aponius, Beda et alii, qui per haec significari aut Christum, cum pro nobis passus et crucifixus est, constravisse Ecclesiam charitate, quia in illa amorem sui et rerum divinarum accendit. Haec sunt tapeta charitatis, ait Aponius, quae media humanae naturae, et majestatis conternunt, propter sanctorum animarum salutem, et gaudia filiarum superae Jerusalem. Haec est atque constrata charitas, quae omnia sustinet, secundum Apostolum, I *Corinth.* XIII, 7, quae calcata nunquam cedit, sed alissos erigit suae humilitatis exemplo.

Symbolice, ferculum divinitatis, Christi est humanitas: utriusque ferculum est crux, neque ac Eucharistia; haec tria enim charitate constrata sunt, juxta illud: « Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret: ut omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam eternam, » Joan. III, 16; et illud: « In hoc apparuit charitas Dei in nobis, quoniam Filium suum unigenitum misit Deus in mundum, ut vivamus per eum, » I *Joan.* IV, 9. Causam dat vers. 16: « Deus charitas est: et qui manet in charitate, in Deo manet, et Deus in eo. » Et illud Christi: « Ignem veni mittere in terram, et quid volo nisi ut accendatur? » Luc. XII, 49. Et illud: « Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, in me manet, et ego in illo, » Joan. VI, 57: Eucharistia enim representat, imo reipsa exhibet nobis manducandam totam deitatem, et humanitatem Christi, amore nostri in cruce assum et totam: quare Eucharistia mera est Christi charitas et amor, quod ad se rapit filias Jerusalem, id est animas devote communicantes; Eucharistiae autem sacrificium et sacramentum maxime celebratur et iteratur Romae, utpote ubi plura sunt sacerdotum millia, nec pauciora religiosorum et monachorum, a quibus ex instituto frequenter sacra synaxis; atque haec est romanae charitatis, quam paulo ante commendavi, scatebra et causa: imo ordo et prestatas sacerdotalis consecrandi sacramen-

charitatem derivatur a romano pontifice, velut a capite hierarchiae ecclesiasticae: ab ipso enim creantur episcopi, qui ordinant sacerdotes per totum orbem. Haec de causa cum Pontifice Romae egreditur, alioque profectus, semper cum eo defertur sacramentum Eucharistiae, atque olim episcopis Romanis venientibus, illud ipsum obviam mittere solebat in signum mutuae communionis fidei et charitatis, ut liquet ex epistola S. Irenei ad Victorem papam, quam recitat Eusebius, lib. V *Hist.* cap. XXIV; ex qua colligit Baronius, anno Christi 198, tom. II, quod romanus Pontifex ad omnes coepiscopos catholicae communicationis olim mittere solebat Eucharistiam, sed qui ea indigni ab ipso judicati essent, ab omnibus vitarentur quasi excommunicati, utpote qui non communicarent cum romana Ecclesiae Pontifice. Christus ergo in cruce, aequae ac in Eucharistia, est quasi divinum et immensum charitatis simulacrum, ut proinde verius quam Salomon vocetur *vidua*, id est *amabilis Domino*, II *Reg.* XI, 23; atque eandem pie communicantibus afflat et aspirat. Unde S. Chrysostomus, hom. 61 ad *Popul.*: « Tanquam leones, inquit, ignem spirantes ab illa mensa recedamus, facili diabolo terribiles, et caput nostram mentem revolventes, et charitatem, quam nobis exhibuit. » Hujus rei typus erat arca testamenti, cujus opusculum erat propitiatorium aureum significans Christum, qui est propitiatio pro peccatis totius mundi: arca ergo erat instar ferculi hujus, in cuius medio erat manna, quod erat figura Eucharistiae; unde Chaldaeus vertit, et *inter cherubim, qui erant super propitiatorium, residebat majestas Domini, qui habitare facit nomen suum in Jerusalem, magis quam in omnibus urbibus terrae Israel.*

#### SECUNDUS SENSUS

##### PARTIALIS,

#### De Christo et anima sancta.

Anima mortificata, et apostolico spiritu praedicans Christum, est ferculum Christi; ac proinde medium, vel, ut Septuaginta, *intimam ejus*, puta cor et mens charitate constratum est: ardeat enim amore Dei et zelo animarum oportet, qui eas Christo lucrifacere sagittat. Talis erat S. Paulus qui ait: « Caritas Christi urget nos, etc.; et pro omnibus mortuus est Christus: ut et, qui vivunt, jam non sibi vivant, sed ei, qui pro ipsis mortuus est et resurrexit, » II *Corinth.* V, 14. « Quis nos separabit a charitate Christi? tribulatio? an angustia, » etc., *Rom.* VIII, 35. Et: « Optabam ego ipse anathema esse a Christo pro fratribus meis, » *Rom.* IX, 3. Audi S. Chrysostomum, homil. 32 in *Epist. ad Roman.* in *Moral.*: « Cor Christi erat cor Pauli, tabulaque Spiritus Sancti, atque charitatis volumen, etc., quod Christum adeo diligere meruit, ut illum nemo alius ita dilexerit, quod mortem et gehennam contempsit; quod ex lacrymis

illis fraternis conferebatur. » Vide eundem in homiliis octo, quas in laudem S. Pauli conscripsit, ac praesertim in 2 (exstant sub finem tom. III) atque in sermone proxime sequenti, qui est in commemoratione S. Pauli de charitate, ubi inter caetera explicans illud I *Cor.* IX: « Omnibus omnia factus sum, ut omnes facerem salvos, » exclamat: « Vidistine, queso, animam terrenam superantem? omnem enim prorsus hominem Deo exhibere cupiebat, et omnes quantum ad ipsum spectabat exhibuit. Quasi enim universum mundum ipse gemisset sic perturbabat, sic curabat, sic omnes in regnum Dei festinabat inducere docendo, orando, etc., erigere labentes, stantes firmare, humi jacentes attollere, sanare contritos, torpentes oleo exhortationis animare, inimice intonare terribile, hostes minaciter intueri, more optimi ejusdem ducis, et medicis artis suae instrumenta gestantis. » Mox causam subjicit: « Cum enim celsus consisteret in omnium arce virtutum, omnem tamen flammam praecipuo charitatis ardore vincebat: ut enim missum in ignem ferrum, totum profecto ignis efficitur; sic Paulus, charitate succensus, totus factus est charitas: qui quasi communis totius mundi esset pater, ita amore hominum ipsos eorum imitantes parentes, imo cunctos non carnales modo, verum etiam spirituales patres sollicitudine ac pietate superabat, et pecunias et verba et animam per his quos diligebat, impendens. »

Praedicatore ergo, qui instar Pauli, Christi fidem et amorem fidelibus imprimere satagunt, ardeat charitate Pauli, sic eadem alios incendunt. Ita S. Dominicus fundator Ordinis Praedicatorum, et S. Pauli assecla, cum solum S. Mathaei evangelium per provincias concionaturus deferret secum, omnesque amore Dei inflammaret, rogatus e quo libro tam suavia et ardentia concionis eloquia depremeret, respondit: « E libro charitatis; huic enim et vos studete, ac simili ardore omnes succendetis: » verum enim est illud:

Ardeat orator, si vult incendere plebem.

Moraliter, charitas omnes virtutes perficit, sibi quae subternit et rite ordinat, ac omnia vitia prostermit: unde sine charitate nulla virtus prodest ad salutem, juxta illud, I *Corinth.* XIII, 4: « Caritas patiens est, benigna est: charitas non emulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambiciosa, non querit quae sua sunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet super iniquitate: congaudet autem veritati: omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet: » ita S. Anselmus; unde et Nyssenus hic, *homil.* 7, docet charitatem ornari et coronari omnibus virtutibus, quarum pavimentum ait esse virginitatem; hanc enim virtutum puritatem, quasi radiis quibusdam gemm. arum splendescere.

Porro Richardus de S. Victore per *media* intellegens opera indifferentia, quae sunt inter virtutem et vitium *media*, uti edere, bibere, studere, au-

bulare, etc.: « Ista, ait, debent esse constrata charitate, ut in charitate fiant et bona intentione, et cum charitate fraterna ita fiant ut infirmi in his non scandalizent, vel infirmantur, sed ita strata sint, id est tanta aequalitate et discretione facta, ut incedat anima in his omnibus sine querela, et opportune moverit illa exercere, et iterum intermittere. »

Rursum S. Gregorius ex Cassiodoro *media* adjectiva, quasi epithetum charitatis accipiens, censet illam *mediam* dici, quia illa mediante filiae Jerusalem, id est imperfectiores animae ad sponsi beatitudinem perveniunt, si charitatem indefesse observent, etiamsi eis desit reclinatorium aureum contemplationis, et ascensus purpureus martyrii, et columnae argenteae praedicationis. Rationem dat Rupertus, qui per *ferculum* accipiens sacram Scripturam: « *Media*, inquit, charitate constravit, » id est in medio Scripturarum principatum charitatis posuit, quia ex ea pendunt caetera omnia, juxta illud Christi: « In his duobus mandatis (diligendi Deum et proximum) universa lex pendet et propheta, » *Matth.* XXII, 40. Causam subdit, quod charitas alienum bonum faciat suum et proprium, v. g. inquit: « Non sunt carnae virgines, sed bonum virginum in te, o beata Maria, diligendo suum faciunt. Non alia praeter te genuit regem Salomonem, regem tam magnum, tam magnificentem: sed illa, diligendo in te hoc tam grande privilegium, regis aequedum matres fiunt. Item non sunt martyres, neque sufficienter inter fortes prellari, et pro amore regis Salomonis fundere sanguinem suum, sed martyres diligunt, et diligendo illos, gloriam eorum suam faciunt. Amplius dicam: Non sunt *Dii*, sed diligendo Deum, *dii*, vel filii Dei sunt, sicut scriptum est: Ego dixi: *dii* estis, et filii excelsi omnes. »

Denique S. Bernardus, *De Gradibus humilit.* sub initium, ferculum hoc epularum spiritualium, puta charitatis et virtutum accipiens, *mediam* charitatem interpretatur, quae *mediis*, hoc est non incipientibus, nec perfectis, sed proficientibus, qui in medio amborum positi sunt, convenit: « *Media*, inquit, charitatis constravit propter filiam Jerusalem, propter imperfectas videlicet animas, quae dum adhuc illum solum cibum minus capere possunt, lacte interim charitatis pro pane, oleo pro vino nutrienda sunt. Quae recte *media* describitur, quia ejus suavitas nec incipientibus praesto est, prohibente timore; nec perfectis satis est, pro abundantiori contemplationis dulcedine. Hi adhuc a noxiis carnalium delectationum humoribus, timoris amarissima potione parzandi, nondum lactis dulcedinem experiuntur: illi jam avulsi a lacte, epulari ab introitu glorie gloriose delectantur: solis mediis, id est proficientibus, ita jam melleas quasdam sorbitulinas charitatis expertis, ut illis interit, *per* sui tulerit contenti sint. Primus ergo cibus est humilitatis, purgatorius cum amaritudine; secundus

charitatis, consolatorius cum dulcedine; tertius contemplationis, solidus cum fortitudine. » Et nonnullis inter ceteris patheticè subjicit: « Quis me invitabit ad illud vel medium ac dulce charitatis convivium, ubi iusti epulantur in conspectu Dei, et delectantur in lætitia, ut jam non loquens in amaritudine anime meæ dicam Deo: *Noli me condemnare*, Job. x, 2; sed epulando in azymis sinceritatis et veritatis lætus cantem in viis Domini: *Quoniam magna est gloria Domini?* » Psal. CXXXVII, vers. 5. Verum hæc ingeniosa magis et pia, quam solida et genuina sunt: ferculum enim hoc non est epularum, sed est sedes, vel currus magnificus sponsi et sponsæ: atque *media* non situm sedemque significat, uti dixi; potest tamen charitas denominari *media* hoc sensu, quod in medio ferculi sit posita et constricta.

#### TERTIUM SENSUS

##### PRINCIPALIS,

De Christo et B. Virgine.

Beata Virgine uterus et sinus fuit ferculum augustissimum, ferens et bajulus Verbum incarnatum, uti superius dixi, ideoque *media* charitatis constrictum propter filias Jerusalem: quia Christus, qui est ipsa charitas, maximam gratiam et charitatem B. Virgini aspiravit, ut ipsa filiabus Jerusalem, id est animabus devotis ad illam in quavis difficultate recurrentibus opem ferret: quare ipsa est mediatrix Dei et hominum, uti docet S. Bernardus, serm. 2 De Assumpt. B. Virgine: « Ipsa, inquit, mediatrix nostra; ipsa est, per quam suscipimus misericordiam tuam, Deus; ipsa per quam et nos Dominum Jesum in domos nostras Ecclesia quotidie eam invocat: « Salve, regina, mater misericordie; vita dulcedo et spes nostra, salve. Ad te clamamus exsules filii Eviæ: ad te suspiramus gementes et flentes in hac lacrymarum valle. Eia ergo, advocata nostra, illos tuos misericordes oculos ad nos converte; et Jesum benedictum fructum ventris tui nobis, post hoc exsiliū, ostende, o clemens! o pia! o dulcis virgo Maria! »

Andi S. Bernardum, serm. 1 De Assumpt.: « Dufitare quis potest, omnino in affectum charitatis transisse Maria viscera, in quibus ipsa, que ex Deo est, charitas novem mensibus corporaliter requievit? » Et paulo post: « Nec in terris locis dignior uteri virginalis templo, in quo Filium Dei Maria suscepit, nec in caelis regali solio, in quo Mariam hodie Maria filius sublimavit. »

Hinc ex hebræo verbi potest, et *medium tenet ipse incensus amore, q. d. Christus, qui totus est amor et ardor, medium uteri et cordis B. Virgine occupat, in ecclesia quasi in throno et solio regali consistet, utamque charitatem diffundit.*

Rursus B. Virgo praeceptum stravit charitate, cum Christum, qui est ipsa charitas, recens natum

in eo quasi strato collocavit: quare praeceptum fuit quasi tabernaculum charitatis. Sicut gentiles fixerunt Cupidinem deum amoris, quasi puerum alatum, gerentem arcum et sagittas, sic vere pinguis charitatem quasi puerum alatum, jacentem in presepio, flammam ardoris spargentem: Christus enim in cunis est hieroglyphicum et illicium amoris; ibi enim magnus Dominus et laudabilis nimis factus est puer parvulus et amabilis nimis; quid enim blandius blandiente omnibus parvulo de Bethlehem, uti Christum vocabat S. Franciscus ex suavissimis amoris deliciis? Porro fideles et Ecclesie omnes, sed maxime romana devota est B. Virgini: unde sola Roma magnificas basilicas et templa in B. Virgine honorem ad sexaginta tria (quot Salutationes angelicæ recitantur in corona, sive rosario B. Virgine) ædificavit, illaque studiosè frequentat et devote colit: quare uti magna est ejus in B. Virgine pietas, sic vicissim ingens in eam est B. Virgine liberalitas ac charitatis et gratiarum effusio.

VERS. 11. EGREDINI ET VIDETE, FILIE SION. REGEM SALOMONEM IN DIADEMATE, QUO CORONAVIT ILLUM MATER SUA IN DIE DESPONSATIONIS ILLIUS, ET IN DIE LETITIE CORDIS EIUS.

EGREDINI ET VIDETE, FILIE SION, REGEM SALOMONEM IN DIADEMATE (SYRUS ET ARABICUS, in corona), QUO CORONAVIT ILLUM MATER SUA IN DIE DESPONSATIONIS ILLIUS, ET IN DIE LETITIE CORDIS EIUS. — Solebant enim matres coronare filios, cum fierent sponsi in nuptiis; unde Clytemnestra uxor Agamemnonis apud Euripidem in *Iphigenia in Aulide*, Achilli objicit filiam a se coronatam esse ad nuptias: « Frustra quidem, inquit, verumtamen quasi tibi nuptura esset filia, illam adduxi, ubi prius illam coronassem. » Philo quoque de *Antiquitate Biblicis*, filiam septem a patre ex voto morti devotam, ita virginitatem suam deplorantem inducit: « O mater, inquit, mea, in vanum peperisti virginitatem tuam, quoniam factus est infernus thalamus meus; confectio omnium olei, quod preparasti mihi, effundetur; et alba quam navit mater mea, tinea comedit eam; et corona, quam intexuit nutrix mea, in tempore marcescit. » S. Chrysostomus etiam, homil. 9 in *Timoth. in Moral.*, docet filios in nuptiis coronari solitos: causamque addit, ut ostendat illorum animus omnis carnis illecebris alt or atque superior: corona enim illa candorem indicat, et puritatem animi, qui nunquam libidini succubuit: « Idcirco quoque, inquit, corone imponuntur capiti, ut victoriarum signa sint, quod scilicet ante libidini fuerunt impenetrabiles. Ita demum cubiculum ingrediuntur, quia selecta voluptate superstiti non sunt. Quod si libidine superatus quisquam se ipsum scortis addixerit, ejus jam rei gratia coronari incedat, qui tam fœde libidini colla subdidit? »

Est vox sponsæ, que evocat filias Sion, ut in domibus suis egrediantur ad spectandum spons-

um, qui ferculo charitate constricto propter eandem filias Sion, sive Jerusalem, magnificè veetus, ac diadematè a matre in die nuptiarum coronatus, exultavit: triumphans incedebat, ut novus rex et sponsus: sponsi enim, æque ac reges, corona vel floreæ, vel frondeæ, vel aureæ, vel gemmeæ redimiri solebant, uti docet Tertullianus, lib. De Corona militis, Brissonius, De Ritu nuptiarum, Alexander ab Alexandro, lib. II *Genialium*, cap. v, et Carolus Paschalius, lib. I De Coronis, cap. xvi. Unde Paschalius in nuptiis Honorii imperatoris sic canit:

Tu festas, Hymenæo, faces; in, gratia, flores  
Elige; in geminis, concordia, nece coronas.

Et Tertullianus, De Corona militis: « Coronant, ait, et nuptiæ sponsos. » Alexander Magnus incesit coronatus, cum ipse sponsus unius, centum Macedonas cum totidem Persidibus legitimo matrimonio copulavit, teste Plutarcho, lib. De Fortuna Alexandri. Idem Paschalius, cap. xvii, ex Plutarcho et aliis, docet coronas has sponsorum contexti solitas ex asparago et sisymbrio, e verbenis, ex albiæ et pino, illasque fuisse indices ac testes iuventutis, hilaritatis, lætitiæ et gratulationis: denique moris fuisse, ut nova nupta januam viri lana coronaret, juxta illud Proverb. xxxi, 13: « Quævisit lanam et linum, et operata est consilio manuum suarum. » Coronas hæcæ nuptiales fuisse insignes, exelsas, et quasi turritas, indicat illud Luciani, lib. II De Bello:

Turritaque premens frontem matrona corona.

Talis utique fuit corona, qua Alexander Magnus sponsorum suam Roxanem coronavit, uti indicat opus Ælii apud Lucianum.

Porro sponsa invitât filias Sion ad hoc sponsi sui spectaculum eo fine, ut eas in illius admirationem, amorem et cultum rapiat; unde cum Salomonem, id est pacificum nuncupat, eo quod ipse pacem, id est tranquillitatem, gaudium, opes, honores, salutem, felicitatem et omne bonum (hoc enim hebræice significat *pax*) illis ipsis sit allaturus.

Diadema olim fuit primum insigne regum, nec aliud erat quam fascia alba et tenuis cingens caput: *διάδημα* enim est *obligare*, circumligare, inde *δία* quæ est *obligaculum*, redimiculum; postea crescente regum potentia, opibus et splendore, fascia in coronam auream gemmatam commutata est. « Diadema, inquit Cælius Rhodiginus, lib. XXIV, cap. vi, erat fascia candida, quæ regum capilibus obligabatur. » Quod insigne regum invenit prius, auctore Plinio, Liber pater. Coronam lauream fasciæ pro *æ*ratam, cum quidam Cesaris staturæ imposuisset, tribuni plebis detraxi coronæ fasciam, et *in* vincula hominem juserunt. Alexandrum Magnū legitimus quandoque sibi diadema detraxisse, vulnere obligando quod in fronte acceperat Lysimachus. Quam rem portendisse illi regnum ferunt, quod et mox sit conse-

cutas. Tradit Ammianus Marcellinus invidia Pompeio datum ab obtrectatoribus, quod fasciæ obligatum crus circumferret ulceris causa, velati novarum rerum affectionibus pressagium id foret. In gente Turcarum reliquias etiam antiqui moris servari palam est.

Porro Chaldeus judicæ hinc referens ad ipsum Salomonem, sic paræbrasticè interpretatur: « Quando venit Salomon rex, ut faceret dedicationem domus sanctuarii, præco egressus est in fortitudine, et sic ait: Egredimini et videte, habitatores provinciarum terræ Israel et populus Sion, diadema et coronam, qua coronaverunt populus Israel regem Salomonem in die dedicationis domus sanctuarii; et lætus est in lætitia solemnitalis tabernaculorum, quam fecit Salomon rex in tempore illo quatuordecim diebus. »

#### PRIMUM SENSUS

##### ADEQUATUS,

De Christo et Ecclesia.

Quintuplici diademate sive corona Christus Ecclesiam rex et sponsus, redimitus est, primo, stoba humanæ naturæ, cum ea cum corona deitate suam vestivit in incarnatione: nam stoba apud Syros regis habitus et regum diadema censetur, teste Alexandro ab Alexandro, lib. I *Genial.*, cap. xxviii. Alludit Salomon ad epithalamium Christi et Ecclesie a Davide patre suo conscriptum, Psal. xviii, 6, ubi ipse Christum sponsum comparans soli: « In sole, inquit, posuit tabernaculum suum: et ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo: » sol enim cum oritur in aurora, radiis suis in vaporibus nocturnis, et nube interjecte reflexis, speciem capitis coronati exhibet: unde belle coronatus decore procedit, quasi sponsus de thalamo suo. Rursum sepe sub sola est ea aggestio vaporum et dispositio nubium, ut sol per eas translucens, halonem, id est coronam efficiat, qua ipse cingatur, ornetur et coronetur: sic pariter Verbum æternum carnem assumpsit, per quam radios divinitatis suæ evibrans, illa quasi nube translucens et coruscante, velut halone et corona belle redimitus et coronatus processit: Christus enim in incarnatione despondit sibi humanam naturam, quam assumpsit inseparabilis unionis conjugio, ita ut in æternum illi adhaerens, nec eam unquam relicturus sit; atque per carnem, quam assumpsit, consequenter sibi despondit, et univit totam humanam naturam, totamque Ecclesiam: hoc enim fine carnem assumpsit, et carnis diademate redimitus incesit.

Porro hæc humanitatis stola et corona a matre, puta a B. Virgine vestitus et coronatus est: quia ipsa et purissimis suis sanguinibus, obumbrante Spiritu Sancto, corpus Christi in utero suo efformavit. Adde, quod Christus per B. Virginem, velut Davidis regis filiam et heredem, regnum et coronam regiam Israel, quasi hereditaria success-

sione consecutus videatur; unde huc alludens angelus Christi incarnationis paranymphus, B. Virgini inter cetera de eo ait: « Et dabit illi Dominus Deum sedem David patris ejus: et regnabit in domo Jacob in aeternum. » *Luc.* 1, 32: David enim hoc regnum Messiae, sive Christi ex Davide nascituri, promiserat dicens: « De fructu ventris tui ponam super sedem tuam. » *Psal.* CXXXI, 11. Ita per *diademata* humanam naturam, quam in incarnatione Christus assumpsit, hoc loco accipiunt S. Gregorius, Beda, Alcuinus, Honorius, Cassiodorus, Philo, et S. Athanasius in *Synopsi*, ac S. Ambrosius, *De Institut. Virgin.* cap. XVI, qui sic ait: « Beatus Mariae uterus, qui tantum dominum coronavit, quando formavit; coronavit enim, quando generavit, quia etsi eum sine aliqua operatione sui formaverit (quia Spiritus Sanctus supervenit in Virginem, unde et ipse in *Psal.* ait: Inoperatum meum viderunt oculi tui, *Psal.* CXXXVII, 16), tamen hoc ipso, quod ad omnium salutem eum concepit et peperit, coronam capiti ejus aeternae pietatis imposuit, ut per fidem dederit fieret omnis viri caput Christus. » Audi S. Gregorium: « Mater Christi beata Maria esse creditur, quae coronavit eum *diademate*, quia humanitatem nostram ex ea ipse assumpsit, sicut in Evangelio recitatur, et hoc die desponsationis ejus, et in die laetitiae cordis ejus factum esse dicitur, quia quantum unigenitus Filius Dei divinitatem suam humanitati nostrae copulare voluit, quando per bonam voluntatem suam tempore opportuno Ecclesiam sponsam suam sibi assumere placuit, tunc charitatis exultatione carnem nostram ex matre virgine suscipere voluit: in qua cum doloribus pro tempore vivens, de redemptione nostra vehementer exultavit. » Objicit deinde S. Gregorius, simulque respondet: « Sed cum diadema pro gloria assumatur, in humanitatis autem susceptione, non gloria Verbi Dei, sed humilitas esse cognoscatur, quomodo humanitate nostra quasi diademate coronatus fuisse dicitur? Sed cum ipsa ejus incarnatio vere gloria nostra fuerit, quia membra ejus sumus propter communionem corporis, diadema membrorum bene capitis Scriptura praedixit: hic itaque quia a sponsa laudatur, et ipse vicissim sponsam mundare dignatur. » Hoc est quod 600 annis ante predictus Isaias, spiritu exultans cecinit cap. LXI, vers. 10: « Gaudens gaudebo in Domino, et exultabit anima mea in Deo meo: quia induit me vestimentis salutis; et indumento justitiae circumdedit me, quasi sponsum decoratum corona, et quasi sponsam ornatum monilibus suis. » Vide ibi dieta.

Dies ergo incarnationis fuit dies desponsationis et laetitiae, tam Christi, quam hominum et angelorum: gavisus enim Christus de sua humanitate tam nobili, sancta et perfecta, quod per eam homines reconciliaturus esset Deo; unde angeli exultantes tunc cecernerunt: « Gloria in altissimis Deo, et in terra pax hominibus bonae voluntatis, »

*Luc.* II, 13. Hoc est, quod precinuit Sophonis, ac cap. III, vers. 14: « Lauda, filia Sion: jubila, Israel: et betare, et exsulta in omni corde, filia Jerusalem. Abstulit Dominus judicium tuum, avertit inimicos tuos: rex Israel Dominus in medio tui, non timebis malum ultra. In die illa dicitur Jerusalem: Noli timere: Sion, non dissolvantur manus tuae. Dominus Deus tuus in medio tui fortis, ipse salvabit: gaudebit super te in laetitia, silebit in dilectione tua, exsultabit super te in laude; » Septuaginta: *Et letabitur in te in delectatione quasi in die solemnitate*: vide ibi dieta: in Canticum enim hoc prima Verbi sponsa est humanitas ab eo assumpta, cujus conjugium hic celebratur.

Secundo, sicut Christus primo anno et die incarnationis suae, coronatus est diademate humanitatis suae die 23 martii, ita pariter 34 et ultimo vitae suae anno, redeunte eadem die 23 martii, coronatus est corona spinea a matre (verius novera) sua Synagoga, puta a Judeis Christum crucifigentibus: eadem enim die passum et mortuum esse Christum, qua incarnatus est, puta 23 martii, docet S. Augustinus, lib. IV *De Trinit.* cap. IV, Epiphanius, *haeres.* 78 et 79, Franciscus Suarez, et alii permulti. In morte enim Christus solvens praefixam redemptionis nostrae Ecclesiam, id est nos fideles, in actu quasi perfecto sibi coemit, despondit, et copulavit; unde quasi sponsus tunc coronatus est corona, sed spinea, quia patiens et pro spinis peccatorum nostrorum satisfaciens; unde Isidorus Pelusiota, lib. I, *epist.* 95: « Quia, inquit, exsertatione illius, qua terra post mandatum a nobis violata muletata est, seges spinea erat; Dominus autem ut omnem in seipso morbum curaret, advenerat, idcirco spinea corona ut victor redimitus est: quemadmodum scilicet clari ac celebres viatores faciant, qui hoc ipsum laudat aut instruuntur, cujus ope victoriam consecuti sunt, in triumphum gestant. Confidite, inquit Dominus, ego vici mundum. » Christus ergo hac corona spinea quasi triumphali, velut rex Judeorum, in est confitentium et laudantium Deum, redimitus et diadematus, de passione, cruce, morte, peccato, demone, et inferno triumphavit. Hac de causa christiani olim nolebant coronari rosas, quia Christus coronatus erat spinis, ut docet Tertullianus, lib. *De Corona militis*. Et Clemens Alexandrinus, lib. II *Pedagog.* cap. V: « A ratione, inquit, alienum est, ut qui audierimus Dominum spinis fuisse coronatum, ipsi venerabili Domini passioni per fidum insultantes habeamus capita redimita floribus. »

Quocirca Godefridus Ballonius, qui post receptam Terram Sanctam primus et christianissimus creatus est Hierosolymorum rex, noluit coronari corona aurea dicens: « Se nolle coronari auro in illa urbe in qua Christus coronatus est spinis, » ut refert Wilhelmus Tyrus *De Bello sacro*, et Paulus Emilius, lib. IV *De Rebus Francorum*, sub finem. Ita diadema hoc de spinea Christi: corona exponunt Theodoretus, Cassiodorus, Aponius, Anselmus, Philo,

Justus Orgellanus, S. Bernardus et alii. Audi Theodoretum: « Matrem, inquit, appellat Judeam quantum pertinet ad Christi humanitatem, qua charitatis coronam illi invita imposuit: spinis enim illum contemptus causa coronavit, ipse vero per spinas suscepit diademata charitatis: fronte enim ignominiam pertulit, atque ultra ad mortis cruciatu accessit: quamobrem dispensationis diem illum vocavit, et diem laetitiae cordis ejus. Tunc quippe nuptiarum communio facta est, » scilicet in cena ultima, quando paulo ante passionem nuptiale convivium, puta Eucharistiam instituit, ut subjicit Theodoretus.

Porro S. Athanasius, tract. *De Passione et cruce*, docet Christum duabus de causis spinis coronatum. Primo, ut maledictum illud terrae lueret et auferret: « Maledicta terra in opere tuo. Spinas et tribulos germinabit tibi, » *Genes.* cap. III, vers. 17. Secundo, ut nostrarum spinarum, id est curarum et sollicitudinum aculeos in se susciperet: « Ipse enim, inquit, in doloribus et curis erat, ut ad nos doloribus careremus, etc., ac pro spinis lignum vitae daret. » Audi S. Bernardum, serm. 2 *De Epiphania*: « Egredimini, virtutes angelicae, faculae civitatis supernae. Ecce rex vester, sed in corona nostra, in diademate, quo coronavit eum mater sua. Sed his deliciis usque modo caruitis, hanc haec tunc dulcedinem non gustastis. Habetis sublimitatem ejus, sed humilitatem ejus non vidistis. Egredimini igitur et videte regem Salomonem in diademate, quo coronavit eum mater sua, in corona paupertatis, in corona miserie. Siquidem coronatus est et a novera corona spinea, corona miserie, coronandus a familia sua corona justitiae; quando exibunt angeli et tollent de regno ejus omnia scandala, quando veniet ad iudicium cum senioribus populi sui, cum pugnabit pro orbis terra adversus insensatos. Coronat eum et pater corona gloriae, sicut Psalmista ait: Gloria et honore coronasti eum, » *Psal.* VII, 6.

Tertia corona Christi fuit gloria, cum die tertio a morte ad vitam in corpore glorioso resurrexit, et die 40 ad celos ascendit, ac ad dexteram Dei Patris in throno gloriae, quasi victor mortis, de eaque triumphans divino lumine diadematus consedit, juxta illud: « Gloria et honore coronasti eum, » *Psal.* VII, 6; et *Hebr.* II, 9 et seq.: « Videmus, ait, Iesum, propter passionem mortis, gloria et honore coronatum: » dies enim paschae, sive resurrectionis, eoque ac ascensionis, fuit dies laetitiae et desponsationis Christi, quo scilicet Christus jam non mortalis et moriturus, ut ante, sed immortalis et gloriosus in perpetuum Ecclesiam tum praesentem, tum futuram sibi despondit, et similem ei resurrectionis gloriam spondit, juxta illud, *Psal.* XCII, 1: « Dominus regnavit, decorem induit. » Causam finalem dat Tertullianus, lib. *De Corona militis*, sub finem: « Ut, ait (tu, o christiane), illam Christi coronam emuleris, quae postea ei obvenit, quia et favos post fella

gustavit, nec ante rex gloriae a caelestibus salutat est, quam rex Judeorum prescriptus in crucem: minoratus primo a Patre modicum quid citra angelos, et ita gloria et honore coronatus. »

Quarta corona fuit domini et regni, quae coronatus est in die Pentecostes, cum, misso Spiritu Sancto in apostolos, per eos multa Judeorum millia convertit, sibi que subiecit, ac paulo post per eosdem gentes omnes suae fidei et obedientiae subjugavit: tunc enim Ecclesiam tam e gentibus, quam e Judeis collectam, quasi per verba de praesenti sibi despondit et conjugio copulavit. Sicut enim Deus in Sina dando legem Moysi et Hebraeis in Pentecoste Synagogam sibi despondit: sic et Christus in Sion dando legem novam, eamque promulgando in Pentecoste per Apostolos, Ecclesiam sibi despondit. Hoc est, quod ait Jeremias, cap. II, 2: « Recordatus sum tui, miserans adolescentiam tuam, et charitatem desponsationis tuae, quando secuta es me in deserto; » sponsa autem est ornamentum et corona sponsi: nam, ut ait Sapientia: « Mulier (sponsa) diligens, corona est viro suo, » *Proverb.* XII, 4. Ecclesia ergo, quae est sponsa Christi, ejusdem est corona, sicut fideles et sancti sunt corona Ecclesiae, juxta illud, *Isai.* XLIX, 18: « Omnibus his velut ornameto vestieris, et circumdabis tibi eos quasi sponsa; » et cap. LXI, 10: « Quasi sponsum decoratum corona, » et cap. LXII, 3: « Ergi corona gloriae in manu Domini, et diadema regis in manu Dei tui. Non vocaberis ultra derelicta, sed vocaberis voluntas mea in ea: quia complacuit Domino in te, etc. Et gaudebit sponsus super sponsam, et gaudebit super te Deus tuus. » Hinc S. Paulus Thessalonicenses a se conversos vocat suam coronam, I *epist.* II, 19: « Quae est enim nostra spes, aut gaudium, aut corona gloriae? nonne vos ante Dominum? etc., vos enim estis gloria nostra et gaudium. » Et *Philipp.* IV, 1: « Fratres mei charissimi et desideratissimi, gaudium meum, et corona mea: sic stete in Domino, charissimi » Sic S. Ambrosius, serm. 15 in *Psal.* CXY, ait omnes sanctos, omnesque eorum virtutes et coronas esse coronam Christi: « Quae est, inquit, corona, qua coronatur Christus, nisi corona gloriae? Joseph coronam habuit castitatis, Paulus justitiae, Petrus fidei, singularium virtutum coronae sunt: solus Christus habet coronam gloriae, quae cum Ecclesia coronavit. In hac corona omnes coronae sunt, quia gloria non portio unius coronae, sed praemium omnium coronarum est. » Sic et Aponius ac Nyssenus, *homil.* 7. Quot ergo bona opera facis ex gratia Christi, tot Christi capiti et coronae rosas innectis: sicut quot salutationes angelicas recitas B. Virgini, tot ejus vestis rosas impletis, ut fiat rosarium et corona Virgini.

Porro haec corona tam triumphalis est, quam sponsalitia et regalis: nam Christus armis eloquentiae et gratiae suae, per apostolos omnes gentes sibi subiecit; unde eum S. Joannes comparat

equi, et equo albo, Apoc. vi, 2: « Et ecce, inquit, equus albus, et qui sedebat super illum, habebat arcum, et data est ei corona, et exivit vincens ut vinceret, omnes gentes sagittis amoris confingendo sibi que subjungendo; et cap. xiv, vers. 14: « Et vidi, et ecce nubem candidam: et super nubem sederunt similem filio hominis, habentem in capite suo coronam auream, et in manu sua falceem acutam. »

Quinta corona Christi sponsalia, aque ac triumphalis, erit beatorum in celo: ipso enim in die iudicii reprobos hostes suos deturbans in tartara, fideles et electos suos ducet ad oculum: ibique perpetuo nuptialis amoris conjugio eterna gloria eis copulabitur, eis que ceu corona gloria coronabitur, juxta illud, Apoc. xix, 6: « Alleluia: quoniam regnavit Dominus Deus noster omnipotens. Gaudeamus et exultemus, et demus gloriam ei: quia venerunt nuptiæ Agni, et uxor ejus preparavit se, et datum est illi, ut cooperiat se byssino splendenti et candido. Byssinum enim justificationes sunt sanctorum. Et dixit mihi. Scribe: Beati qui ad conam nuptiarum agni vocati sunt; » et vers. 12: « Et in capite ejus diademata multa; » et vers. 16: « Habet in vestimento et in femore suo scriptum: Rex, regum et Dominus dominantium. »

Porro hæc omnes coronæ Christi sunt in ejus terculo, in Ecclesia romana: prima quidem, quia ecclesia romana maxime prædicat et celebrat mysterium incarnationis Christi, illudque contra omnes hereses Nestorii, Eutycheti, Apollinaris, monothelitarum, etc., acerrime defendit, ut patet ex Epistola aurea S. Leonis hæc de re conscripta ad concilium Chalcedonense. Hinc et Roma in basilica S. Mariæ Majoris præsepium, in quo reclinatus, ac fasciis, quasi diademate, coronatus est Christus, recordatum est: quin et eodem, in qua B. Virgo nunquam incarnationis accepit, ac Verbum caro factum est, angeli ex Nazareth transfulerunt Laurentum non longe a Roma situm.

Secunda, quia S. Helena e Jerusalem S. crucem, clavos, et spinas coronæ spineæ Christi Romam transtulit, ac in basilica S. Crucis, que inde in Jerusalem cognominata est, transtulit; ubi ego cominus illa intulit et veneratus sum, ac quotannis ex alto eminus populo ostenduntur, et veneranda propinquantur.

Tertia, quia romana Ecclesia resurrectionis fidem constanter prædicat, ac contra quoslibet sectarios propagat, uti S. Gregorius fecit, qui Eutychium patriarcham Constantinopolitanum resurrectionem negantem coram imperatore convicit et convertit; ac multa martyrum millia Romæ resurrectionem non loquendo, sed ob ejus spem moriendo, reipsa constanter confessi et professi sunt.

Quarta et quinta, quia omnes gentes fideles, sicut corona sunt Christi, sic et corona sunt romanæ Ecclesiæ, tum quia ab apostolis et apostolicis viris S. Petro et romano Pontifici subditis, ab eoque missis sunt conversæ; tum quia ipsi

sunt subjectæ, ab eaque in fide et moribus instruntur, et diriguntur ad Jerusalem celestem, puta ad æternam felicitatem et gloriam. Hæc causa romanus Pontifex triplici corona redimitur, ut plenum Christi in omnes gentes regnum, quod ipse quasi vicarius Christi administrat, representet, nimirum, hæc est regnum sacerdotale, et sacerdotium regale, ut ait S. Petrus, I Epist. cap. ii, vers. 9. Vide ibi dicta; vide et Carolum Paschalius, lib. IX De Coronis, cap. ultim.

Tropologie, S. Ambrosius, lib. De Isaac et anima, cap. v, per diademata accipit charitatem, qua Christum coronavit, id est, undique cinxit et replevit mater Christi, puta ipsa charitas: « Angeli, inquit, canunt epithalamium, perducta sponsa usque ad sponsi requiem nuptialem, et vocant cæteras celestes potestates, vel animas, ut videant charitatem, quam circa filias Jerusalem habet Christus. Unde et meruit coronari a matre filius charitatis, juxta illud Apostoli: Deus nos eripuit de potestate tenebrarum, et transfudit in regnum Filii charitatis sue, Coloss. i, 13. Charitatis itaque Filius et ipse charitas est, non ex accidentibus habens charitatem, sed habens semper sua substantia, sicut et regnum, de quo dicit: Ego in hoc natus sum, Joan. xviii, 37: Ideoque dicunt: Egre dimini, id est exite de sollicitudinibus et cogitationibus sæculi, exite de angustiis corporalibus, exite de vanitatibus mundi, et videte quam rex pacificus in die sponsalium suorum habeat charitatem, quam gloriosus sit, quia corporibus resurrectionem dedit, et animas sibi junxit. Hæc magni est corona certaminis. Hoc præclarum munus sponsalium Christi, sanguis ejus et passio ejus. Quis enim plus potuit dare, qui sibi etiam non peperit? » Sic et Theodoretus ac Nyssenus, hom. 7, qui ait: « Hanc coronam dilectio contulit. »

#### SECUNDUS SENSUS

##### PARTIALIS,

##### De Christo et anima fidelis.

Egreditur anima fidelis, ut Christum in carne humilitatis corona, et in cruce spinea patientiæ diademate coronatum admiretur, colat et imitetur, ab eoque discat spineam mortificationis, vel sponte susceptæ vel aliunde illate, coronam non refugere, sed optare, in eaque gloriarî: quia hæc spinis configitur noxia voluptas, et concupiscentia ex Adæ peccato nobis innata, dolor enim spinarum exstinguit amorem et concupiscentiam epularum. Christus, inquit ille, sanguinem suum pro te fudit, jure ergo sanguinem tuum possit. Pii ergo gaudent spinis dicentes: « Gloriamur in tribulationibus: scientes quod tribulatio patientiam operatur. » Rom. v, 3. Impii vero gaudent rosis dicentes: « Coronemus nos rosis antequam marcescant. » Sapient. ii, 8; unde S. Petrus, I Epist. iv, 14: « Si exprobramini, ait, in nomine Christi, beati eritis: quoniam quod est honoris, gloria et

virtutis Dei, et qui est ejus Spiritus, super vos requiescat: » et Christus: « Beati qui persecutionem patienter propter justitiam: quoniam ipsorum est regnum celorum, » Matt. v, 10. Tais fuit Moyses, qui « negavit se esse filium filie Pharaonis, magis eligens affligi cum populo Dei, quam temporalis peccati habere jucunditatem, majores divitias æstimans thesauro Ægyptiorum, improprium Christi: aspicebat enim in remunerationem, » Hebr. xi, 24. « Pudeat, ait S. Bernardus, serm. 5, in Festo omnium sanctorum, sub spinato capite membrum fieri delicatum, quod omnis ei interim purpura non tam honoris sit, quam irrisionis. »

Porro spinæ hæc sunt corona gaudii et lætitiæ, quia illud pariunt, tum in hæc vita, tum in futura; unde S. Jacobus initio epistolæ, cap. i, 2: « Omne gaudium, inquit, existimate fratres mei, cum in tentationes varias incidistis, » etc. Quocirca S. Catharina Senensis duabus sibi coronis a Christo oblatis, una spinea, altera aurea, ac, optione data, ut eligeret utram vellet, sed seiret alteram post mortem sibi dandam, illico spineam elegit, ut post mortem auream in celo acciperet; illamque tanti vi capiti infixit, ut graves per multos dies capitis dolores senseret.

Quot ergo injurias, morbos, inedia, ærumnas, dolores amore Christi patimur, tot capiti nostro coronæ Christi spinas innectimus. Unde angelus B. Lydwine (ut habet ejus Vita apud Surium), que per 30 annos et amplius gravissimis capitis et corporis morbis afflicta fuerat, sub flamme vite apparens, ei multavit coronam ejus spineam perne esse perfectam, modicum quid duntaxat restare, quare pararet se ad id paliendum: illo peracto perfectam fore patientiæ coronam, ideoque mox coronam gloriæ illi imponendam in celo. Ut dixit, ita factum est.

Quocirca Richardus de S. Victore hic cap. xiii, argens ræ egredimini, docet tribulatos et tentatos debere aspiciere coronam Christi spineam: sicut enim hæc peperit Christo coronam gloriæ, sic et ipsis paritura est: « Judea, inquit, quando Christo intulit martyrium, fabricavit illi coronam et gloriam, etc. (sic et qui nos affligunt, sunt fabri coronæ nostræ, ideoque amandi, non odiendi). O filie Sion, cum adversa patimini, egredimini ad imperfectione vestra, et impatientia, ut leviter feratis illata vobis mala; videte regem vestrum pro vobis passum, et per passionem gloria et honore coronatum: lætiam regis vestri considerate. Hoc exemplum vobis proponite. » Hæc Richardus.

Rursum anima pia Christum in Eucharistia diademate, id est speciebus panis quasi fascia candida velatum et coronatum intuetur, suscipit si bique unit et quasi despondet: in Eucharistia enim celebratur Christi et ætæ nuptiale convivium, aunt Theodoretus et Aponius.

Tropologie, filie Sion, id est speculata, puta

animæ devotæ crebro in oratione mente contemplantur Christum natum, passum et spinis coronatum velut sponsum animæ sue, itaque mirifice in ejus amore accenduntur; quart præius illas egredi oportet de imaginatione et amore rerum carnalium et mundanarum. « Egredimini, ait S. Bernardus, serm. 2 De Epiphania, de sensu carnis ad intellectum mentis, de servitute carnis concupiscentiæ ad libertatem spiritualis intelligentiæ: egredimini de terra vestra et de cognatione vestra. »

#### TERTIUS SENSUS

##### PRINCIPALIS,

##### De Christo et B. Virgine.

Beata Virgo quasi mater coronavit Christum diademate, sive stola, et fascia candidissima humanitatis, qua vulnera nostra obligavit patiens in cruce, ut paulo ante dixi; unde ad eum in præsepito reclinatum intuemum, suspiciendum et adorandum B. Virgo invitat filias Sion: « Quid, inquit, est diademata istud? clarissima prophetiæ veritatis auctoritas, cujus quot sunt præconia, tot gemmarum est Christi diademata; in die desponsationis illius, quo de utero Mariæ tanquam sponsus processit de thalamo suo, et in die lætitiæ cordis ejus quo spinea coronatus corona laborem consummavit, et subsequenti lætificationis resurrectionis triumpho. Et in die lætitiæ illius, et in die desponsationis illius in illo diademate videndos, et ex illo est diademate quantum sit agnoscendos. »

Unde S. Augustinus, lib. IV Confess. cap. xi: « Egredimini, ait, ad nos primum in virginali utero, ubi et nupsit humana creatura, caro mortalis, nec semper mortalis, et inde valuit sponsus procedens de thalamo suo exsultavit ut gigas ad currendam viam, Psal. xviii, 6: non enim tardavit, sed ecurrit clamans diebus, factis, morte, vita, descensu, ascensu, clamans ut redamur ad eum, et descensit ab oculis ut redamur ad cor, et inveniamus eum. »

Addit Hugo de S. Victore, II Miscellanorum, lib. I, cap. xlix, B. Virgine coronasse Christum corona justitiæ, que consistit in ordinatione et aequalitate quatuor animi passionum, puta amoris et timoris, gaudii et tristitiæ: qui enim has quatuor habet ordinatas, hic justus, id est compositus est: qui inordinatas, injustus; Christus autem eas ordinatissimas assumpsit et carne purissima B. Virginis, in qua summe erant ordinatæ et compositæ, ipsa enim caruit omni concupiscentia et perturbatione: « pueri enim ut plurimum matritant, ac de matris poliusquam patris indolem et mores induunt, uti ex Galeno, Aristotele, Avicenna, Alberto Magno et aliis docet Tiraquellus, lib. II Comarum. num. 73. Iluc facit illud de Christo predictum, Psal. xlv, vers. 5: « Specie tua et pulchritudine tua intende, prospere procede, et regna. Propter veritatem et mansue

indinem, et justitiam. » Audi Ithongem : « Coronavit eum (Christum) noverca, pater, et mater : noverca Synagoga, mater virgo, Pater ejus Deus. Noverca coronavit eum corona spinea et miserie, mater corona justitiae, pater corona gloriae. Spinea corona materialiter punxit eum exterius, spiritualiter interior, non pro suis, sed pro nostris criminibus, ut nos pro spinis nostris ei non dedignamur compungi. Matris corona quatuor pretiosis lapidibus eum ornavit. Isti sunt principales quatuor animi affectiones, gaudium, amor,

tristitia, timor. Iste affectiones, sicut dicit B. Augustinus, ordinatae, justitia sunt; inordinatae, injustitia. Quia itaque sibi ordinatae, eae Saomon noster assumpsit de Virgine, ipsa predicta corona justitiae eum coronavit. Ut autem ad plenariam cognitionem tertii diadematis, quo eum Deus Pater gloria et honore coronavit pervenire possitis, egredimini a vitis, videite fide, et operatione, et imitatione eum coronatum corona, qua coronavit eum mater sua, ut ordinatas ejus exemplo predictas affectiones habeatis ipso praestante. Qui, » etc.

## CAPUT QUARTUM.

### SYNOPSIS CAPITIS.

*Sponsus laudatus a sponsa laudes in eam repperit, illamque vicissim dilaudat ab ornamentis non externis et asceticis (uti faciunt puella psalteria cap. vii.) sed interioris, et a natura gratiaque insitis, scilicet ab oculis columbinis, capillis caprinis, dentibus ovinis, labiis coccineis, genis puniceis, collo turrito, uberibus capree. Deinde, vers. 8, de Libano illum evocat in Jerusalem ad coronam, eo quod ejus amore sit vulneratus, tum ob dotes jam recensitas, tum ob ubera pulchriora vino, linguam stillantem mel, ac vestes olivae thus. Denique, vers. 10, illum comparat horto concluso, malis puniceis, cypro, nardo, croco, cinnamomo, myrrha et aloë referto; atque, vers. 15, eam assimilat puteo aquarum viventium.*

*Visce omnibus velut emblematis parabolice representat Ecclesiam, et gentibus collecta et ad culmen erecta, decorem, sanctitatem et perfectionem usque ad cap. v vers. 2, ubi de ejusdem jam seusecatis, rugis, navis et maculis agit.*

*Rursum haece omnibus depingit perfectionem et pulchritudinem humanitatis Christi, quam Verbum sibi despondit eum hypostatice eam sibi univiti. Haec ergo primaria est Verbi sponsa, cujus membra et dotes hic celebrantur, uti dixi in Proemio, cap. ii, q. 1 initio capituli hoc loco semel notasse sufficiat, ne in singulis versibus sit repetendum.*

1. Quam pulchra es, amica mea, quam pulchra es! Oculi tui columbarum, absque eo quod intrinsecus latet. Capilli tui sicut greges caprarum, quae ascenderunt de monte Galaad. 2. Dentes tui sicut greges tonsarum, quae ascenderunt de lavacro, omnes gemellis foetibus, et sterilis non est inter eas. 3. Sicut vitta coccinea, labia tua : et eloquium tuum, dulce. Sicut fragmen mali punici, ita genae tuae, absque eo quod intrinsecus latet. 4. Sicut turris David collum tuum, quae edificata est cum propugna oculis : mille clypei pendunt ex ea, omnis armatura fortium. 5. Duo ubera tua, sicut duo hinnuli capree gemelli, qui pascentur in liliis, 6. donec aspiret dies, et inclinentur umbrae. Vadam ad montem myrrhae, et ad collem thuris. 7. Tota pulchra es, amica mea, et macula non est in te. 8. Veni de Libano, sponsa mea, veni de Libano, veni : coronaberis de capite Amara, de vertice Sanir et Hermon; de cubilibus leonum, de montibus pardorum. 9. Vulnerasti cor meum, soror mea sponsa, vulnerasti cor meum in uno oculorum tuorum, et in uno crine colli tui. 10. Quam pulchrae sunt mammae tuae, soror mea sponsa! pulchriora sunt ubera tua vino, et odor unguentorum tuorum super omnia aromata. 11. Favus distillans labia tua, sponsa, mel et lac sub lingua tua : et odor vestimentorum tuorum sicut odor thuris. 12. Hortus conclusus soror mea sponsa, hortus conclusus, fons signatus. 13. Emissiones tuae paradisus malorum puniceorum cum pomorum fructibus. Cypri cum nardo, 14. nardus et crocus, fistula et cinnamomum cum universis lignis Libani, myrrha et aloë cum omnibus primis

unguentis. 15. Fons hortorum : puteus aquarum viventium, quae fluunt impetu de Libano. 16. Surge, aquilo, et veni, auster, perfla hortum meum, et fluant aromata illius.

### VOX SPONSI.

VERS. 1. QUAM PULCHRA ES, AMICA MEA, QUAM PULCHRA ES! OCULI TUI COLUMBARUM, ABSQUE EO QUOD INTRINSECUS LATET.

Syrus et Arabicus: *Ecce pulchra es*, etc. Pulchritudinem sponsae admirans sponsus, eam per partes describit, ac incipit ab oculis, quos columbae persimiles asserit, puta bellos, lucidos, limpidos, innocentes, simplices, placidos, amabiles, etc., uti exposui cap. 1, vers. 15 : hinc enim id repetit idcirco, quod in fine capituli praecedentis sponsa oculos adolescentularum suarum non in se, sed in sponsum, sponsique diadema, puta humanitatem ab eo assumptam, et coronam spineam intendere jussisset : qua re quam oculis esset sincera et fida ostenderat, ut merito oculi ejus novum laudum exordium mererentur.

ABSQUE EO QUOD INTRINSECUS LATET. — Hebraice רצונך מצדך *mitsammat*, quod rabini, Genebrardus, Pagninus, Clarius, et alii vertunt, *intra cinerem tuos*; Marinus, *intra crinem tuum*; Vatablus, *extra comam tuam*, scilicet promicantes, q. d. Pulchriores apparent oculi tui, dum passis capillis tui sponsa incedis : sic enim intra crines et cinerem tuos profluentes, pulchritudo emicant et resplendent oculi tui.

Melius R. Jona et alii vertunt, *oculi tui columbae* (id est similes sunt columbis, adeo ut ipsissime columbae esse videantur) *intra velamen tuum* : solebant enim virgines jam viro tradite caput velo obambere, indeque nuptae dicebantur, ut significarent se subditas viro, uti docet Apostolus, I Corin. xi, 7 et 10. Hoc velum vocabatur *flammeum nuptiale*, eo quod assidue illo utebatur Flaminica, id est flaminis uxor, ait Festus; unde Martialis, libro XII, 38 :

Præliare faces, velarunt flammae vultus :

hebraice vocatur צממה *tsamma*, id est *constrictorium*, sive *vitta*, aut velum caput constringens; unde Symmachus hic vers. 3, et Septuaginta, *Isai. XLVII, 2*, vertunt *velum*, vel *opercimentum*.

Saneus ergo est, q. d. Non solum oculi tui, o sponsa, pulchri sunt ex nitore columbino, sed etiam ab eo, « quod intrinsecus latet, » hoc est, ex eo quod oculi lateant sub velo, sive flammeo nuptiali; inde enim quasi berylli, vel adamantes emicare videntur, atque obvios quasi ex insidiis incautos adoriri, eosque vulnerare; lumina enim oculorum ita intus recondita, et circumvelata ingeniosos habent decus, ac quasi ex arcano quodam lucis radios ex se, tanquam tela quaedam, jacere et vibrare videntur, ut fusiis dixi *Isaie XLVII, 2*.

Adde hebraeum צממת *tsammat*, non tam velum, quam velatum, id est rem ob pulchritudinem,

vel reverentiam velo dignam, oblectamque significare videtur; id liquet ex eo, quod Noster hic, et vers. 3, et cap. LXVI, constanter vertat, *quod intrinsecus latet* : *tsammat* ergo significat rem latentem et sub velo reconditam; et ex Septuaginta, Syro et Arabico, qui *tsammat* vertunt *lactitantiam*, sive *silentium*, id est rem latentem et pro sui decore et majestate silendam et tacendam. Simili catachresi campi *silere* dicuntur, cum nondum germinant; et flores *silentes*, qui necdum se aperiant, sed suo calyce clausi latent, et luna *silens*, id est *latens*, juxta illud Virgilii, II *Aeneid.* :

Tacito per astra silentia luna,

Igitur et absque eo quod intrinsecus latet, idem est ac si dicat : Absque interna decoris gratia, quae in oculis abscondita latet, q. d. Oculi tui, o sponsa, non tantum similes sunt oculis columbinis, eo quod venusti sint, lucidi, simplices, pudici, verecundi, amabiles; sed insuper eximiam in se latentem gratiam et pulchritudinem continent, quae per pupillam et angulos, velut per velum tenuiter et obscure pellucet et emicat, ideoque oculos intuentium non implet, sed ad penitus id, quod latet, inspiciendum allicit et rapit, sicut in pyropis et gemmis nonnullis, tanquam quaedam nubecula decora et splendida in fundo latens, per extimam superficiem pellucet, quae oculos intuentium mire oblectat, ac quia non saliat, ad ulterius intuentium invitavit, quia sub ea quid raurum et pretiosum celari videtur.

Mira enim in oculis hominum, praesertim feminarum, inest latens gratia et venustas, quae intuentes in sui amore et admirationem rapit : sicut enim tota pulchritudo feminae est quasi collecta in facie, sic tota pulchritudo faciei in oculis quasi videtur. Quoecira vers. 9 sponsus ait sponsae : « Vulnerasti cor meum in uno oculorum tuorum. » Sophronius, in *Prato Spiriti*, cap. LX, narrat sanctimoniam quandam ab adolescente adamatam; cum eam ille ubique prosequeretur, rogavisse quid illi tantopere in se placeret, cumque adolescens responderet : Oculi illi enim, inquit, seduxerunt me ; mox illa cultro effodit sibi oculos, ne amplius ipsi essent scandalo, q. d. Accipe quod adamasti, et me prosequi desine; compunctus ille animum vitamque in melius commutavit. Sabellicus, lib. IV *Exempli*, cap. VIII, scribit S. Luciam oculos sibi erutos tyranno se persequenti misisse, velut virginitalis suae obsides et tutores. Putant nonnulli hanc Luciam esse celebrem illam Syraecusanam martyrem, ideoque illam pingi cum oculis in patina exhibitis; sed alia fuisse videtur. Narravit mihi praelatus quidam in primis probus et sapiens, se a matrona quadam casta et gravi, aequae prudente monitum, ut